

The Electronic Manipulus florum  
www.manipulusflorum.com

Martirium i  
cum fonte primo

Quod martirium grauius est quam  
inter epulas esurire, inter uestes multas  
et preciosas algere, paupertate premi  
inter diuicias quas offert mundus,  
quas ostentat malignus, quas desiderat  
noster appetitus?

Propterea pauperibus pariter et  
martiribus regnum celorum promittitur  
quia paupertate quidem emitur,  
sed in passione pro Christo  
absque dilatione percipitur.

Bernardus in sermone.

Quid mirabilius, aut  
quod martyrium grauius est, quam  
inter epulas esurire, inter vestes multas  
et pretiosas algere, paupertate premi  
inter diuicias quas offert mundus,  
quas ostentat malignus, quas desiderat  
noster ipse appetitus?

Annon merito coronabitur qui  
sic certaverit, mundum abiciens  
promittentem, irridens inimicum  
tentantem, et, quod gloriosius est, de  
semetipso triumphans et crucifigens  
concupiscentiam prurientem? Denique  
propterea pauperibus pariter et  
martyribus regnum caelorum promittitur,  
quia paupertate quidem emitur,  
sed in passione pro Christo  
absque omni dilatione percipitur.

Bernardus Claraeuallensis, *Sermones in  
festiuitate omnium sanctorum*, 1, 15  
(SBO 5, J. Leclercq, C.H. Talbot, H.M.  
Rochais eds., p.341, ll.8-15).